

1571

*Jacobus
Ragazzoni, de
mercatoribus permutandis re infecta, Byzantio discedit.*

Mehemetes, insulam in faucibus Ottomanici imperii sitam, in eorum potius, quam in Reipublicæ potestate esse oportere; ea de re absque sui capitis periculo agere non posse. Tum Barbarus, ut aucta pensione, Venetis concedatur, obnixè efflagitat. Bassa, nihil se unquam Regi, quod ab illius alienum voluntate intelligat, suasurum, respondet; at sermone cum Selymo habito, legato responsum relaturum. Verum cum in dies nostris cuncta duriora atque difficiliora accidere nuntiaretur, re infecta, Ragazzonius Byzantio discessit; neque postea quidquam de mercatoribus restituendis confectum, cum a Venetis homines Selymo parentes cum eorum mercimoniis primo Epydaurum mitti peterent, mox Venetos a se mittendos Turcæ pollicerentur: quod Senatui varias ob causas minime probabatur.

Interea, dum vel foederis cum christianis Principibus incundi, vel concordiae cum Selymo faciendæ, omnium animi ambigua expectatione fluctuant; ut militum virtutem acuerent, neve hostes inolescere paterentur, diversis in regionibus nostri duces Turcas aggrediuntur. Circumjecti Margaritino Epirotæ incolæ, a Corcyræ magistratu ad oppidum expugnandum subsidia petunt; obsides se daturos sacramentumque Reipublicæ dicturos polliciti; multos eo in oppido clientes, atque amicos habere; statim ac nostri ad suburbia accederent, deditionem facturos. Paulus Ursinus magistratus jussu Cibotæ cum septingentis peditibus, opportuno, atque propinquo loco confedit; Joannem Bembum trierarchum in litus descendere, Epirotarum animos, copias, arma explorare jubet. Is tametsi ducentos ac quinquaginta gladjiis tantum, ac contis armatos procul inspexisset, tamen cum hostes, nostrorum consiliis cognitis, se ad oppidi propugnationem comparasse, equitum manum in insidiis, qua iter habendum erat, posuisse, Delvini autem præfectum propius cum copiis abesse comperisset; milites exponendos non censuit, sed Corcyram reversus est.

Sebastianus Venerius ad Epydamni oppugnationem inani evenisse cōfessus.

Venerius vero imperator, cum Soppoti moenia refici, oppidumque validius communiri jussisset, sexdecim triremibus in Pallormi portum delatus, cum Augustino Barbadico legato, ac Paulo Ursino re communicata, Epydamnum, quod præ-